non ſolliciti ſumus, vel minus quam de hominum benevolentia & indignatione, (2) per *metum ſervilem*, quando Deum ex metu pœnæ adducti veneramur.

CAP. V.

De fide divina.

§. 1.

Per *fidem* intelligimus illam intellectus certitudinem, *quæ omne id, quod Deus nobis vel per rationem vel revelationem manifeſtavit, credimus & pro vero habemus.*

§. 2. Credimus autem Deo propter ipſius *veracitatem*, quæ nos obligat, ut nunquam vel in dubium vocemus, vel plane negemus, quæ Deus nobis revelavit.

§. 3. Peccatur itaque contra hoc præceptum per *incredulitatem*, quam committunt omnes illi, *partim* qui dubitant de iis, quæ per rationem nobis ſunt evidentiſſima, qualis ſtoliditas imputatur *Pyrrhoni* ipſiusque aſſeclis; *partim* qui dubitant ac negant, quæ in Scriptura S. proponuntur, & a ratione ſibi relicta concipi nequeunt, qualis impietas deprehenditur in *Socinianis*.

CAP. VI.

De fidvcia in Devm.

§. 1.

Per *fiduciam* intelligimus *illam voluntatis certitudinem*, qua *perſuaſi ſumus, fore ut Deus nobis*